

Deum ipsum ( sicuti retulerunt qui tum oraculum petebant) Delphis hoc ipso verbo scilicet assentatus appellasti: atque ( vt aiunt ) hoc egregium carmen inscripsisti,

Sis latus, latumque velis seruare tyrannum.

Ego verò non modò Deum, sed ne hominem quidē hoc modo salutarim: Deum quidem, quod cōtra naturam eius facerem. Deus enim longè ab omnivoluptatis abest ac doloris sensu: hominem verò, quod ei plerunque voluptas damnum ac molestiā pariat: tarditatem siquidem mentis & obliuionem & stultitiam & insolentiam parit.<sup>1</sup> Atque hæc sic à me de salutatione dicta sint. Tu verò cùm legeris, quam in partem voles, accipe.<sup>2</sup> Plerique autem te quibusdam apud te legatis præsentibus dicere solitū aiunt, quod cùm aliquādo me audiente prædicares tibi certum & statutum esse, Græcas vrbes in Sicilia restituere, & Syracusanos principatu tyrannico in regium mutato, subleuare, quanuis id maximè cuperes, te tamen id ne faceres, à me tum esse prohibitū: nunc autē Dionem ad hæc ipsa perficienda instruā, téque tuis artibus de principatu deiiciam. At tu si quid ex his sermonibus emolumenti capias, ipse nosti: contumelia sanè me afficis, cùm veris ac gestis rebus contraria loquare. Satis verò supérque & à <sup>3</sup> Philistide & plerisque aliis apud milites & Syracusanam plebem calumniæ sustinui, & quod in arce tecum manerem, & quod iij, qui extrā erant,

<sup>1</sup> Concludit re-sponsione de genere salutatio-

<sup>2</sup> Proponit ca-lumnas, quib⁹ la-debatur à Dio-nysio.

b. i.